

**III MARTII.  
DE S. CVNIGVNDE IMPERATRICE,  
VIRGINE, CONIVGE, VIDVA, DEMVM  
SANCTIMOMIALI BENEDICTINA,  
CONFVGIÆ ET BAMBERGÆ IN  
GERMANIA,  
MIRACVLA VARIA**

**Ex apographo Bambergensi a Gretsero edita, collata cum MS. Baunachiano.**

[1] Igitur, dum hæc cum solennitate Cleri & populi devotione agerentur; quidam contractus in suburbio de hospitali S. Ægidij adductus, sanitatem postulabat; [Sanantur tres contracti,] & misericorditer exauditus, quod postulavit, obtinuit. Dum signorum fama totum Babebergensem locum respersisset; contractus de domo Conradi Præpositi maioris Ecclesiæ, sanitatem affectans; & quamvis natura in membris eius aberrasset, tamen prout potuit, velocius reptans, venerabili sepulcro se ingressit; vbi a Domino salutem optatam inuenit. Audiens hoc etiam contractus de domo Othonis in eadem Ecclesia Canonici, venit quanto eius ad locum sepulcri, sperans sibi ex beneficio gratiæ, sicut ceteris, subueniri; vbi sine mora subuentum esse in Christo testamur. Iterum vt in prædicta Virgine virtus miræ sanctitatis elucesceret, alius, qui simili morbo membrorum naturali sensu perditio, gressu carebat, adiutoria curationis expetens, celerem sanitatis effectum sentiebat.

[2] Mox omni populo laudes Dei personante, quædam paralytica mulier, incolis prædicti loci haud incognita, [paralytica,] vim superni medicaminis postulans cum lacrymis, optatum inuenit auxilium. Audiens hæc alia faemina, vno pede claudicans, quæ secularem habitum

lugubri veste mutauerat, tarditate debilitatis quamuis impediretur, [2 claudi,] ingressa est, & spem sanationis, quam ardenti desiderio habebat animo infixam, plenam salutis inueniens, concito cursu ambulabat. Porro dum huius bonæ famæ odorem vicinia degustasset, atque ex diuersis locis confluerent, claudus de castro, quod a lech dicitur, post momentaneam orationem vix completam, celerrime gratiam percepit.

[3] Item in diœcesi nostra nobilis fœmina, de Castello, quod Wikenfeld nuncupatur, immoderatum dolorem sustinens, [oppressa magno dore capitis,] quia nullo medicorum remedio curari poterat; se cœlesti medico commendans, pristinae sanitati restituitur. Vt autem curationis magnitudo diffusius Ecclesijs innotescat, quasdam eius infirmitates, ex quibus omni physica ratione desperata fuit, pro ingenio nostro exponere satagimus; a principali corporis parte incipientes. Quia Cephalœam, id est, dolorem capitis, tam vehementer patiebatur, vt pro abiecto peplo, nec subtilissimum filum, nec ipsam cæsariem sustinere posset. Igitur, quia tantus dolor caput ipsius sæpissime tentauit, omnes regiones capitis, videlicet, os, labium, oculi, cilium & lingua, subuersæ sunt, vt vnaquæque illarum stationem suam a natura locatam, contra ipsam naturam permutarit. Talis quoque singultus eam constrinxit, vt putaretur mortis esse præsagium. [cum paralyti brachij,] Sospitatis inimica paralysis dextrum brachium eius tam debile reddiderat, quod penitus naturali officio carebat: & matricis vitio contra omnem spem salutis torquebatur. De reliquis infirmitatibus eius supersedemus, ne minor de dictis fides habeatur. Sed hoc minime sub silentio transeundum est, quod prædicta fœmina sine gratiarum actione tertia die post susceptam curam, ad domum suam redire disponens; recidente in brachium eius paralyti, donec Deo ac Kunigundi pro beneficijs omnium curarum gratias rependeret, [& relapsum passa:] diutius per inuisibilem

febris catenam remanere cogebatur. Accidit autem tale miraculum, quod brachio eius incomparabiliter vexato, & tumbæ superposito, nisi S. Henrici adhibito capite, nulla requies concessa fuit, nec retrahendi manum fuerat sibi concessa facultas: donec accersito, & votis eius annuente fratre ipsius potentissimus omnium Dominus, votivis precibus placatus, cum integra sanitate liberum ei permisit discessum.

[4] Adfuerunt etiam duo pueri ibi, quorum vni tanta membrorum mollities inerat, [laborans mollitie membrorum.] vt fere ossibus carere putaretur: qui subito consolidatus ambulauit. Alteri vero de Lycendorf tam miracies corpusculum conumpserat, vt gressu & loquendi vsu a natiuitate vsque ad ætatem, [claudus & mutus:] quæ plantaria dentium dicitur, omnino careret: hic bene vtriusque sanitatem recipiens, gressum recepit & loquebatur.

[5] Puella sciatica de Gisfeld dum pro gratia curationis ad visitandum sanctæ Virginis sepulcrum suspirans anhelaret, [Ischiade laborans,] nec tamen se præ turba ingerere potuisset, subito cælestis gratiæ medicinam recepit. In ciuitate nostra debilis puer, [claudus,] filius cuiusdam vinitoris, ex contractione nervorum carens officio pedum, etiam sanus ibidem efficitur. [2 recuruæ,] De Sezzelach quædam mulier ex infirmitate diutina inclinata, meritis beatæ Imperatricis erigitur. Quædam puella de Burgo, qui dicitur Nurenberg, plantæ pedis sursum recuruæ, & geniculi contracti, [laborans arida manu,] sanationem obtinuit. Alia quoque puella de eodem Burgo habens aridam manum, ad sepulchrum S. Cunigundis orationibus & vigiljs insistens, nervorum, articularumque flexibilitate diuinitus indulta; [cæca, clauda,] vt a pluribus curatis didicerat, tonsam cæsariam in testimonium sanationis legavit.

[6] In Haldenstat puella visu carens, bis illuminata est: [3 muti,] & alia quædam gressum recepit. Mutus de Stetefeld: mutus de Liechtenfels, & muta de Meingouve, loquelam receperunt. Filia villici in Vorcheim gressum recepit, & manibus paralytica debilitate arefactis, aliquanto resumpto vigore, cibaria ori applicabat. Alia puella de eodem oppido curvitate nimis inclinata, divini muneris particeps, vt humanam naturam sequeretur, [clauda & paralytica, incuruata.] sursum aspiciens, sine mora erecta est.

[7] Hoc etiam operæ pretium adijcere dignum duximus: quod pulvis, [Pulvis sepulchri vulneri medetur,] qui causa curationis de sepulcro sanctissimæ Imperatricis ægrorum manibus euellitur, cum receptione sanitatis, in purum frumentum convertitur. Equidem, ne hoc contra rerum naturam incredibile putaremus, certæ manifestationis indicio rei veritatem comperimus. Enimvero quidam rusticus cancrenum vulnus ore patiens; tali pulvere pro vnguento utebatur, & adepta sanitate, [in frumentum mutatur,] pulverem in frumenti speciem transmutatum, sub testimonio probabilium virorum ad ecclesiam reportavit. Est, vt iterum inde evidentius certi fieremus, quidam vir de Beiersdorf; & plures alij de Nurenberg, idem sibi accidisse affirmantes cum iuramento mutatam terræ naturam in veram speciem frumenti ostendentes, ad prænominatum locum detulerunt. Tale mirum adhuc non credentibus, vt dubietas amputaretur; mulier caliginosis oculis cæcutiens, spe sanationis, pulvere madidato utebatur: quem etiam versum in frumenti naturam, & paruum madorem, quem addiderat, cum augmento invenit: vnde nimis anxia, quid faceret; ad vltimum deliberavit, vt in venalibus rebus lucratiuam gratiam haberet: quæ diuinitus quod factum fuerat, tam diu celauit, donec februm molestijs occupata, inde sibi dolorem provenisse conijceret. Porro cum populus ad adorandum in ecclesia conuenisset, mulier inito consilio,

memorable signum, quod acciderat, ostendit; & quia diu celatum habuerat, indulgentiam peccatorum cum lacrymarum effusione quæsiuit.

[8] [Sanantur, aridam manum habens,] Quadam Dominica, dum solennia Missæ agerentur, arida manus cuiusdam pueri vigori restituitur. In Assumptione S. Mariæ, tria signa in quodam puero de Gundolesheim, filio cuiusdam molendinarij, perpetrata sunt; vt mutus loqueretur, [mutus, surdus & claudus,] auribus eius auditus infunderetur, incessu pedum vteretur. At hoc dictu mirabile negligendum non est; quod in loco nostro Babeberg vxor molendinarij a maligno spiritu vexata, prædictæ Virginis ad tumbam ducebatur; & continuo dæmon egressus filiastram illius intravit, [dæmoniaca,] iterumque ad ipsam redijt. Non est prætereundum, quod quædam fæmina, iliaca passione laborans, sanitatem se percepisse fatebatur. Dum hæc latius divulgata fuissent, venit claudus quidam de villa, [iliaca passione, laborans,] quæ dicitur Wertheim: hic Dei misericordia, & fauente S. Cunigunda, cupitam sanitatem recuperabat, & ancilla pedis debilitate baculo innixa, [2 claudi] desideratam opem inuenit. De Veldin, cæca mulier illuminationis gratiam experiri digna inuenta est. [cæca,]

[9] Quidam claudus de Castil in Baiariæ claustro monachorum, dum ei miraculorum fama innotuisset, [claudus,] venire proposuit, propositum perfecit, valetudinem recepit: sed quia incognitus fuit, & sufficiens testimonium, quoniam ante visus non erat, habere non potuit; inter curatos non recipiebatur: sed plagis affectus, quasi deceptor abibat confusus. Postquam autem ad prædictum claustum redijt, omnia, quæ sibi euenerant, memorauit: vnde multos leuioris animi in risum conuertit, multos etiam infirmos præmuniuit, quod nulli eorum sine testibus ad Bambergensem locum, gratia curationis audendo venirent. [paralytica,] Paralytica de

**Gisenwinde, votis humilibus Domino supplicans, & vt credere fas est, apud Deum & S. Cunegundam, præcedentibus meritis, cedente infirmitate, facta est incolumis. Muta de Sachsendorf, non lingua, sed corde loquendo, postulabat auxilium, [muta,] vt sibi reserata lingua id in ipsa, quod natura in alijs operaretur: & statim cupitum donum impetrauit.**

**[10] De Stadelhofen quidam officio linguæ priuatus, videns in alijs salutis effectum, intentius corde orabat, vt & ipse in numero curatorum esse mereretur: quod eum orasse dubium non est, quoniam exauditus est. [mutus secundo sanatus,] Quoniam autem in gratiarum actione obmutuit, iterum loquendi gratiam amisit. Mox parentes eius & convicanei stupefacti, mutum reducunt, & dum essent in itinere, apertum est os eius, & loquebatur. De Michsendorff puer contractus, & fæmina de Holfeld eadem molestia turbata, [2 contracti,] dum ad curandum offeruntur, necessitatibus amborum a Domino & S. Cunigunda subuenitur. [2 cæcæ,] Mulier cæca de Ratelsdorf, & alia quædam de Dieboue, dolentes pro luminis defectu, prostratæ in orationibus, sanctissimæ Imperatricis patrocínio illuminabantur. Quidam mutus de Limpurch, dum in orationibus pernoctasset, [mutus,] factoque mane, domum redire disponderet, diuina præditus gratia, & factus infirmitatis alienus, recte loquebatur. De Bodenstein mulier insensata, & tremulum caput agitans, populi deuotione pro ea supplicante, [ægra dolore capitis,] ab vtriusque mali penitus incommodo liberatur.**

**[11] Beata Cunigundis plures suæ sanctitatis testes habere volens, mutam puellam de Abenberg cum misericordia respiciens, [muta,] soluto linguæ vinculo, loquendi officio restituit. De Neunkirchen clauda puella propitiationis auctricem largis fletibus aggrediens, vt sui misereri dignaretur, [clauda,] intime flagitabat: & aperto**

sibi benignitatis ostio, preces, quas effuderat, non in vanum effudisse sentiebat: quia infirmitatis notam prorsus amittens, [laborans inflatione manuum,] firmato gressu, vestigia figere cœpit. Ancilla quædam de Vochendorf, ex inflatione manuum dolens, flexis genibus in oratione procubuit: & factum est, vt tumor decresceret, atque in singulos articulos sanitas citissime rediret. Seruulus quidam de Eisch officio linguæ priuatus, non tardam opem inueniens, loquela vsus est: [mutus,] vnde etiam quos in præsentî opere intitulauimus, eum merito socios habere volumus. De Wirzeburgensi loco quædam conversa debilitate manus molestata, [molestata debilitate manus,] resumpto vigore, læta efficitur: & hæc videntibus iucunditas augetur.

[12] Quidam puer auditu carens, cum sanitatis celeri effectu curatus non per signa, [surdus,] siue per magnum clamorem eloquentibus, imo ad tenuem vocem responsum dedit. Alij duo pueri etiam in alijs infirmitatibus per Virginem prænominatam curati sunt. [2 ægri,] Tam memorandæ rei signum, dum, sicut sol cælum pervolitat, orbem implens vbique crebresceret; inter innumerabiles varijs infirmitatibus oppressos, [claudus,] claudus piæ auxiliatricis interventu, cælesti medicina erigitur. Quo auditu, cæcus illuminari exoptans, inter mille hominum cateruas affluentes aduenit, & sanctæ Virginis patrocínio, in quo confidebat, amissa cæcitate, lumen recipere dignus fuit. [cæcus,] Siquidem huius rei experientiam puella, quæ vnicam manum habebat, sentire volens, pronis affectibus se humiliabat: & cooperantibus votis populorum largiter adiuta, mirabilem sanctitatis efficaciam indulta sanitate sentiebat. [claudus,] Item claudus venerabile sepulcrum gloriosæ Imperatricis diligentius amplexans & lacrymis irrigans, S. Cunigundis auxilio sanitatem recuperavit. [paralyticus.] Itidem paralyticus consumptum naturæ vigorem recipere gestiens, & vocem attollens, medullitus precabatur, vt

**sanati quo vtebantur gaudio, & ipse vti mereretur: & continuo exauditus, incolumis effectus est.**